

1495 ni regulo, quo uno nemo erat Ferdinando regi charior. Itaque hoc successu rerum suarum Carolus cum exercitu equitum militumque numero triginta millium, in regnum Neapolitanum ingressus, ad Cassinum venit: quo in oppido Ferdinandus cum esset, haberet autem milites numero ad quatuor mille, equites alteros totidem, oppidanos cohortatus, ne se diripi sinerent, sed fortunæ cederent, seque in aliud tempus reservarent, oppido profectus, Capuam suis cum copiis contendit. Cassinates, eo profecto, sese Carolo dediderunt. Ad quem non intermissionis itineribus Capuæ appropinquantem, Cajetæ civitas legatos misit, ei se oppidum tradituram, imperataque facturam. Cajeta in ditionem recepta, Capuani & ipsi regi oppidum tradiderunt. Capuam ubi rex venit, Giermes, quem Roma secum abduxerat, in morbum incident, cuius sustinere vim non potuit. At Ferdinandus cum Neapolim petiisset, ejus exercitu intra mœnia non admisso, ipse cum suo comitatu equitibusque paucis est receptor: qui voluntate civitatis intellecta, quæ Gallos expectare ne diriperetur, nolebat, combustis duabus navibus magnis ex tribus quas in portu habebat, ne in manus hostium pervenirent, tertia Objecto Flisco tradita, e quos prope trecentos egregiæ sobolis suis civibus amicisque distribuit. deinde Neapolitana arce, quam appellant *Novam*, militibus reliquisque rebus ad obsidionem sustinendam idoneis apprime communica, cum Federico patruo, & uxore Ferdinandi avi sui atque filia, in insulam Megarem sese contulit. Ex ea insula, quæ est non longe ab oppidi littore, Neapolitani reges arcem munitissimam effecerunt. Carolo recta Neapolim cum exercitu properante, Virginius, Nicolausque Ferdinandi duces; quod intellexerant civitatem legatos de ditione ad Carolum misisse, Nolam se cum ea, quam habebant, manu receperunt. quos præmissi Caroli equites cum insequerentur, Nolani Gallis portas aperuerunt, retentis interceptisque Nicolao atque Virginio, qui ambo in Gallorum potestatem venerunt: tametsi jam ante a Carolo petiif-